

ingenium misera quia fortunatius arte  
credit et excludit sanos Helicone poetas  
Democritus, bona pars non unguis ponere curat,  
non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.  
nanciscetur enim pretium nomenque poetae,  
si tribus Anticyris caput insanabile numquam  
tonsori Licino commiserit. o ego laevus,  
qui purgor bilem sub verni temporis horam!  
non aliis faceret meliora poemata: verum  
nil tanti est. ergo fungar vice cotis, acutum  
reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi;  
munus et officium, nil scribens ipse, docebo,  
unde parentur opes, quid alat formetque poetam,  
quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.  
scribendi recte sapere est et principium et fons.  
rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,  
verbaque provisam rem non invita sequentur.  
qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis,  
quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,  
quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae  
partes in bellum missi ducis: ille profecto  
reddere personae scit convenientia cuique.  
respicere exemplar vitae morumque iubebo

295

300

305

310

315